



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Decembris

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

2^o. *De beato Ioscione.**Ex monumentis Bertinensium.*

IN Achaia, natalis sancti Andreae Apostoli. Circa cuius festum obiit anno millesimo centesimo sexagesimo tertio Ioscio, roseus S. Bertini monachus, genitrici Dei Mariae deuotus.

Cum enim Theobaldus, archiepiscopus Cantuariensis, Roma rediens, & in Capitulo sancti Bertini sermonem faciens, inter caetera dixisset Ierosolymitanos multos ad Deparæ Virginis honorem quinque psalmos psallere consueuisse, à singulis litteris nominis eius incipientes, videlicet, Magnificat, Ad Dominum cum tribularer, Retribue, In conuertendo, & Ad te leuani, singulis psalmis præmittendo salutationem Angelicam, Ioscio istud quotidie post Matutinos est imitatus. Inuentus est autem circa festum Andreae in dormitorio mortuus, sed corpus septem diebus palam ostensum est, cum duabus rosis purpureis ad oculos, totidem ad aures, & vna ex ore, in qua nomen Mariae habebatur. Sepultus est in choro sancti Bertini, sub minori altari, & in ambitu post chorum, sculptus est decumbens in albo lapide, cum dictis rosis. Cuius mortem suspiciunt episcopi & abbates in eodem lapide sculpti. Inter quos Andreas episcopus Atrebarum, qui beatum virum sepeliuit. Meminit huius miraculi Vincentius episcopus Beluacensis in Speculi hist. lib. 7 cap 116.

Primo die DECÉMBRIS.

*De sancto Eligio episcopo, & Apostolo
Flandriae.*

Ex libris potissimum S. Audöeni.

Ciuitate Nouiomo, sancti ELIGII, episcopi & confessoris. Cuius vitam admirandam multiplex signorum numerus commendat. Rexit autem simul vnitatis ecclesias Nouiomensis & Tornacensem. Hunc & Flandri, & Ant-

LI

nerpien-

*Sanctus
Audoenus
li. 2. ca. 3.
88.*

uerpienses, meritò vt Apostolum suum venerantur. Multum enim in Flandris laborauit: iugi instantia Andouerpis decertauit. Pastoris cura sollicitus lustrabat vrbes, & municipia circumquaque sibi commissa. Sed Flandrenses atque Andouerpenses, Frisones quoque & Sueui, & barbari quique, circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, primò eum hostili animo, & auersa mente susceperunt Postmodum verò, cùm paulatim per gratiam his verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucidis ac barbari populi, relictis idolis, conuersa est ad verum Deum, Christoque subiecta. Fana nonnulla, Christi clypeo protectus, cum Apostolica auctoritate destruxit: idola quoque diuersi generis, vbicumque inuenit, funditus subruit. Inter hæc autem frequenter lacesitus ab ingrato & perfido populo, & pene vsque ad contumeliam prouocatus, nullatenus à cœpta doctrina arcebatur, sed magis ipse lenis, patiens, humilis, & mitis, pro eis Dominum deprecabatur. Hæc & alia multa de eo scribit sanctus Audoenus Dado, episcopus Rhotomagensis eius æqualis, vitæque scriptor. Aldenburgi, Rodenburgi, Oostburgi, Brugis, & alibi, sacras inchoauit ædes. Festa eius primaria sunt, depositionis Calendis Decembris, quantumuis in festo S. Andreae obierit prima hora noctis: & translationis postridie natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ. Corpus quiescit Nouiom: portio tamen aliqua habetur Brugis ad S. Saluatorem.

*Vide Meierum
anno
649.*

Die

Die secunda Decembris.

Obitus Ioannis de Ruif-broeck,

cum mentione Ioannis coci.

IN Viridi valle obitus fratris Ioannis de *Ruif-broeck* presbyteri. Et vndecimo Calendas Februarij, obitus fratris Ioannis dicti de *Leem* conuersi, mirabilis feruoris viri huius monasterij primi coci, vulgariter dicti boni coci.

Die tertia Decembris.

1^o. De sancto Eloquio presbytero, qui
quiescit Ualciodori.

Ex monumentis varijs monasterij Walciodorensis, quae nobis exhibuit Paulus Thonon Supprior Hasteriensis.

Valciodori, depositio sancti ELOQUII, presbyteri & confessoris. Qui ex Hibernia ad Galliarum littora venit cum venerabilibus viri sanctis Furseo Ultano, Foillano, Boerio, Mombolo, Adalgiso, Hettone, Helano, Trefano, Germano, Verano, & Columbano. Cumque multum populum Domino per Saxoniam & Galliam acquisissent, compulsi à rege Latinicum monasterium exstruxerunt, vbi sanctus Furseus ad Christum migraturus sortitam monasterij curam beato Eloquio reliquit. Post multos verò dies sciens sanctus Eloquius discipulorum suorum animos diabolico instinctu iniquè in se concitatos, cum paucis fratribus Grimacum ad Isaram secessit, eremiticam vitam ducturus. Cumque sancto Eligio episcopo eius sincera religio innotesceret, presbyterum ordinauit, & prædicand

dicandi licentiam ipsi dedit vndique per suam
diocesim. Fuit autem beatus Eloquius humilli-
mus in oculis suis, patientissimus in aduersis, su-
periorum mandatis obsequentissimus, pater pau-
perum, peregrinorum receptaculum, omnia de-
nique omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret:
cumque ad multam senectam peruenisset, & san-
ctitate atque miraculis longè lateque fulgeret,
mors ei via ad patriam facta est, & præsentis vitæ
exitus, sequentis perpetuo duraturæ factus est in-
troitus. Corpus verò religiosè humatum est in
monticulo iuxta aggerem publicum, vbi Som-
meron & Isara conflunt. Estque ecclesia in eius
memoriam ædificata, quæ magna opem implo-
rantium deuotione frequentata fuit vsque ad
tempora Odonis regis, sub quo Danorum sæui-
ente crudelitate, cum alijs ecclesijs cremata est,
quanquam diuinâ elementia corpus saluum man-
serit in secreto sarcophago. Contigit autem po-
stea ibi sæpe voces audiri psallentium, & lumina-
ria videri. Quo præ significabatur sanctum de ter-
ræ visceribus exaltandum fore. Quod multo post
fecit religiosus Comes Eylbertus. Cùm enim tam
celebris sancti memoria adque diuino officio
sub dio in quadam solitudine relicta esset, pignus
sacrum à Rodehardo Laudunensi episcopo petijt,
& obrinuit ad locum digniorem transferre, vbi
deuotius posset honorari. Vnde deportatum est
ad basilicam Walciodorensem, à dicto Comite
fundatam, & in ipsa translatione plurimi varijs
languoribus afflicti, sunt saluari antequam Missæ
solennia peragerentur. Et hæc hætenus ex histo-
ria S. Eloquij, quæ edita putatur per sanctum
archiepiscopum Forānanum, eo tempore quo sa-
crum

crum corpus ex Francia translatum fuit. Cæterum de hac translatione plura habet liber fundationis monasterij Walciodorensis, ante trecentos annos conscriptus, per Robertum monachum Stabulensem, postea abbatem Walciodorensis. Inde itaque nonnulla addemus. Regressus à summo Pontifice sanctus Forannanus honoris incrementa suæ ecclesiæ cœpit desiderare, sed & Comitum Eylbertum conuenit: ut communi deliberatione, & consilio, alicuius nominati sancti reliquias obtinerent: futurum autem esse dicebant, ut ex præsentia alicuius sancti, & recens basilica honorabilior haberetur, & populi cæterna augetur, & locus abundantiori benedictione sanctificaretur. Cui rei animum apponens Comes, coniugem suam participem fecit consilij, ut & meriti particeps esset. Prius itaque ecclesiæ sancti Michaëlis in Tharascia à se fundatæ acquisierat memorabile corpus beati Adalgisi. Quod cum idem præstare vellet ecclesiæ Walciodorensi, commodè obtinuit corpus sancti Eloquij. Idque aliquot diebus deposuit in basilica beati Michaëlis in Tharascia, ut in die qua cælos petijt in Francia, Walciodorum transportaretur. Dum autem per Fammennam deferretur à portitoribus, depositum in *Morthusin* resumere non potuit, nisi fuis precibus & Vuiderico duos mansu terræ sancto Eloquio legante. Et sic Walciodorum est peruentum, tertio Nonarum Decembris, quo translationis, & depositionis, & basilicæ consecrationis memoria festiua agitur.

2^o. De sanctis martyribus *Walfrido* &
Radfrido, apud *Groningam*.

Ex lectionibus propriae ecclesiae, quas ad me misit Adamus Wachtelaer archidiaconus Groningensis.

IN Frisia, sanctorum martyrum *WALFRIDI*, & *RADFRIDI*; Ex quibus *Walfridus* cum morum sanctitate claret, uxorem sibi omni morum honestate consimilem accepit. De qua ei Deus beatum *Radfridum* filium dedit. Frequentabat quotidie, etsi illiteratus, ecclesiam villae opulentae, quae *Groninge* vocatur. Pauperes & abiectissimos quosque multum colebat. Insuper prophético spiritu inter alia praevidit *Nordmannorum* irruptionem, & suam per eos interemptionem. Secundum enim praedictionem eius, pyratae ex *Nordmannia* maxima classe irruerunt, & devastarunt omnes *Frisiae* partes inter duo flumina *Emisgam* & *Leukam*. Deinde subito circumvallarunt *Groningam*, paruo robore praer ignorantia munitam, eamque occupatam rapina & incendijs fœdaverunt, incensa etiam basilica beati *Martini*. Inde vero cum redirent, beatum *Walfridum* in loco habitationis, à quo horrore tantae commotionis non declinarat, orantem inuenerunt, Christianaque professione ab eo audita, ad classem duxerunt; ubi diuersis tormentis cruciatus, tandem capitalem accepit sententiam. Parentes vero corpus ab inimicis redemerunt, & intra domum eius in cella orationis sepelierunt.

Sanctus *Radfridus* autem dum quaeritur, ex opposito domus suae inter arundines est inuentus, à *Nordmannis* peremptus. Operante autem *Domino*

Villa pro oppido.

mino per interuentum vtriusque martyris multas virtutes, parentes super S. Walfridi sepulcrum ligneam basilicam ædificarunt. Sed non longo post tempore, multiplicatis beneficijs lapideum con- struitur templum. Quod episcopus decimo Calen- das Iulij consecrauit in honorem Deiparæ Virgi- nis, sancti Pauli Apostoli, & beati Walfridi marty- ris, cuius sacras reliquias eodem die transferebat. Natalem habent tertio Nonas Decembris.

*Parētes for-
te cognatas
intelligit,
ut in vita
S. Remeldis*

Arbitror autem, eo quod id à nonnullis annotatum vi- deam, ibidem etiam eleuatam esse Therasiam, vxorem san- cti Vualfridi. De qua tamen nihil mihi ex Groninga est transcriptum. Sed Lectionibus ecclesiæ adiectum erat san- ctos martyres quiescere vno miliari à Groninga in pago *Bedum*, in templo mirificè dotato, cuius fabrica annuè habet supra mille daletos.

Sexta die Decembris.

De sancta Gertrude vidua.

*Ex Hucbaldo, chronicis, & ecclesiasticis libris
Marcenensium.*

MArcianis, natalis sanctæ GERTRVDIS. Hæc vidua, & ducis Adalbaldi auia, post mortem Rigomari coniugis sui, in Hamatico mo- nasterium ædificauit. Vbi longæuitatem vitæ bo- nis operibus accumulans, tranquillam dormi- tionem accepit anno sexcentesimo quinquage- simo quinto. Cui in regimine successit vt lilium sancta virgo Eusebia, eius proneptis, quam edu- cauerat. Vtraque autem ex Hamatico translata est Marcianas, ad S. Rictrudis monasterium. Nata- lis B. Gertrudis quia incidit in festum diem. S. Ni- colai, transfertur in sequentem diem. Similiter eleuationem sanctarum Gertrudis & Eusebiæ fe-

Decembris 9.

N A T A L E S

cit Atta abbas, temporibus Vindiciani episcopi in die sanctorum Simonis & Iudæ: ideoque transferatur, & in præuigilio recolitur.

Nona die Decembris.

De translatione sanctæ Leocadiæ.

Ex officio Hispanico, historicis Hispania, & relatione Matthæi Moullarts Prælati ad diuim Gissenum, nunc episcopi Atrebatum.

TOleti, natalis sanctæ **LEOCADIÆ** virginis, quæ nobilis genere, sed nobiliori proposito mentis ornata, in carcerem & ferrea vincula coniecta est à Daciano præfecto Hispaniarum: Cumque grauissimos beatæ Eulaliæ & reliquorum martyrum audisset cruciatus, flexis genibus confessionis oratione completa, impollutum spiritum Deo reddidit, quinto Idus Decemb.

Notat Ambrosius Morales Toleti tria eam habere templa Vnum, collegiale, vbi martyrium passa est. Estque ædificium peruetustum, regum quorundam Gothiæ sepulcrum. Alterum collegiale, vbi sepulta est: in quo celebrata sunt pleraque omnia Concilia Toletana. Tertium parochiale, quod locum, in quo nata est, occupat.

Corpus autem inde ablatum est, non Coloniæ, vt Vasæus scribit, aut Montes Hannoniæ, vt scribit Cantabay, sed ad vicinam Montibus Cellam sancti Gisseni Calendis Iunij. Quod dictus Cantabay refert ad annum septingentesimum decimum quartum, quando Mauri expulsis Gothis Hispaniam inuaserunt. Cellenses autem Hannoniæ populares arbitrantur suo Comiti obtigisse,

Lib. 8. c. 49

eigiſſe, quando in Hiſpanijs regi Francorum con-
 tra barbaros ſuppeticas ferebat. Viſitauerunt has
 reliquias epiſcopi Cameracenſes Rogerus, anno
 ſupra milleſimum centeſimo octuageſimo, & po-
 ſtea Henricus à Bergis, anno quadringeſimo
 nonageſimo primo. Sæpius autem Carolus quin-
 tus, Maria Hungarica, & Ferdinandus de Toletò,
 ſolicitarunt Giſſenianos, vt Toletanis ſacrum cor-
 pus redderent. Quod ipſum etiam obnixè Philip-
 pum ſecundum Toletana ciuitas rogauit. Sed
 Giſſeniani patrociniò ſanctarum reliquiarum
 ſuum locum fraudare nolunt, gaudentque prin-
 cipum poteſtatem hætenus vi non præualuiſſe.
 Toletani autem non ignorant apud nos eſſe ſan-
 ctam Leocadium, & ſeſe noſtratum beneficio re-
 cuperaſſe fatentur partem brachij.

Quod Ioan. Valæus & Stephanus Cantabay referunt
 ad donationem Ioannæ vxoris Philippi primi regis Hiſpa-
 niarum. Huius autem narrationis teſtem habeo reueren-
 diſſimum Atrebatum antiſtitem Matthæum Moullartium;
 qui in ſua pro Belgio in Hiſpaniam legatione, cùm abbas
 præſſet monaſterio S. Giſſeni, hæc a Toletanis accepit.
 Quibus ramen nihil indicauit de corpore apud ſe exiſtente,
 nè ex multiloquio in periculum amiſſionis incideret.

Vocat hanc virginem Iulianus Toletanus
 confeſſorem; alij non malè martyrem nominant.
 Nam Cyprianus inter Martyrum memorias cele-
 brari vult Confeſſores, quorum confeſſioni ac-
 vinculis accedit moriendi terminus. Eisque con-
 ſummatam martyrij coronam tribuere non du-
 bitat. Epiſt. 37.

Vndecima Decembris.

I^o. De SS. martyrib. Fusciano & Victorico.

Ex Vsuardo & Iperio.

Ciuitate Ambianis, sanctorum martyrum VICTORICI & FUSCIANI. In horum naribus & auribus iussit iudex immitti taringas, & clavis ardentibus capita transfigi: deinde oculos euelli, ac postremò per eorum corpora iaculari. Sicque vnà cum sancto Gentiano hospite suo, capitibus amputatis, migrarunt ad Dominum. Qui prima fidei fundamenta iecerunt non tantum Ambianis, sed etiam in nostra occidua regione Teruānica. Scriptum est autem in chronicis Sithiensibus, ciues *Sithiu*, cum animaduertissent partem exercitus Danorum descendere per cliuum montis, in quo SS. Victoricus & Fuscianus quondam primam eius patriæ ecclesiam ædificauerant: (ideoque sanctus campus, vulgo *Hellichveldt ofe lanr*, corruptè *Hellefant* nominatur) ciues, inquam, in Domino confortatos exiisse, & plus quàm trecentos Danos occidisse: reliquos in fugam conuertisse, anno octingentesimo nonagesimo primo. Prædicationem autem suam hi martyres Ambianis sub Rictiouaro præside & Neruici limitis præfecto, imperante Diocletiano, glorioso martyrio consignarunt. Quod breuiter Vsuardi verbis descripsimus. Porrò licet ignorem cuius linguæ dictio sit taringa (quæ etiam variè scribitur) Vincentius tamen in speculo historia-
rum,

Cap. 3. §. 3.

Lib. 12. ca.
141. §.
139.

rum, & alij plærique, sudem ferream intelligunt. Quare idem à crudelissimo iudice pertulerunt quod collega eorum sanctus Quintinus, cum quo à Roma in Gallias venerunt, & cuius visendi causa ex Teruanensi prædio ad Ambianos abierant, vt mutuo affatu de conuersa gentilitate gauderent.

2^o. De sancta Ida Niuellensi.

*Ex historia eius, & relato Francisca Ferry,
domicella Rameiensis.*

IN Brabantia, monasterio Rameia, obitus sanctæ Idæ de Niella, sanctimonialis ordinis Cisterciensis. Quæ primo habitauit in Kerckhum apud Thenas, sed cum linguam Teutonicam addiscere non posset, & locus aquarum inopia laboraret, aliud est ædificatum monasterium in Brabantia limitibus versus Namurcum, dictum Rameia, in quo hæc virgo vitam suam sanctissimè finiuit. Vnde in die depositionis, etsi non sit canonizata, ex consensu generalis Abbatis Cisterciensis sacrum fit de omnibus sanctis, cum collecta de communi virginum: & post sacrum duas habet antiphonas cum speciali collecta. Ecclesia tunc ornatur, omnes sanctimoniales communicant, & ex deuotione ab opere mechanico cessant. Sermonem sacerdos de ea facit, & in mensa vitæ eius series per aliquot dies legitur. Reliquiæ positæ sunt in sacello sancti Ioannis in capsula sub ipsius in habitu sanctimonialis effigie: caput verò inuolutum serico panno in celebrioribus festis ponitur in altari intra chorum sanctimonialium: Dens verò argento inclusus multis contra dentium dolores efficax attulit remedium. Denique quotiescunque litanias legunt aut canunt, eam post Agnetem vt domesticam patronam inuocant.

Decima

Decima tertia Decembris.

*De sancto Autberto episcopo Cameraci.**Ex historia vita, & Cameracensium litteris.*

CAmeraci, depositio sancti AVTBERTI, eiusdem urbis episcopi, signis virtutum & doctrinis clari, in cuius diebus ecclesia ei credita feliciter floruit. Refulsit temporibus Dagoberti inclyti Francorum regis, sacerdos Christi probatissimus, sub quo & per quem Hannonia mirabiliter in Christiana religione cœpit florere & vigere. Habuit enim in ea discipulos, Landelinum abbatem Crispinij; Vincentium Madelgarium Comitem; & coniugem eius sanctissimam Waldetrudem. Horum sanctitati adiunxerunt se etiam multi Apostolici prædicatores ex Scotia & Gallia: Quibus sanctissimus Gissenus ex Græcia accessit. Per quas columnas felix Hannonia Christo Domino est incorporata, ac fidei Christianæ initijs imbuta.

Iob 9.

Dolendum est tanti pontificis vitam magna ex parte nesciri. Quod nescio vtrum scriptorum ignaviæ debeat imputari, an iusto Dei iudicio, qui stellas claudit quasi sub signaculo, dum videlicet exigentibus peccatis malorum, vita absconditur bonorum. Sepultus est Cameraci extra muros, in sancti Petri ecclesia, quæ ampliatis mœnibus nunc est intra muros, sancti Autberti abbatia. Natalem habet Idibus Decembris, diem eleuationis vigesimam quartam Ianuarij, translationis, quintam Iulij. Sepulcrum autem eius Deus multiplici miraculorum gratia mirificavit, potissimum

num tamen per dies quadraginta, anno vigesimo quarto episcopatus Gerardi. Quo etiam iubente Fulbertus, Doctor clarissimus, librū scripsit quoad potuit, de vita & miraculis sancti Autberti.

*Liber est
excusus to-
mo 6. Surij.*

Decima quarta Decembris.

1^o. De sancto Folquino, episc. Morinorum.

Ex Martyrologio, Folquino, & Chronico Iperij.

Monasterio *Suhii*, depositio beati FOL-
QUINI Morinorum episcopi. Cuius vitæ & sanctitatis meritum commendat abyssus vehemens aquarum, vna nocte flante Austro congelata ad eius corporis transitum.

*De eodem
videatur
Mezerus
an. 855.*

Fuit verbi Dei indefessus prædicator per quadraginta annos, etsi longæuo grauatus senio; summaque diligentia obiit oppida, castella, & vicos suæ diœcesis. Corpora sanctorum Audomari & Bertini sub terra recondidit, Prophetico spiritu præuidens loci per Danos destructionem imminentem. Transijt autem anno octingentesimo quinquagesimo quinto, decimo nono Calendas Ianuarij in *Hedesbeke* Mempisci vico, estque tumulatus in sancti Bertini monasterio, ad sanctum Audomarum: De translatione legitur Idibus Nouembris. Monasterio dicto *Suhii* eleuatio prima, & translatio corporis S. Folquini Morinorum episcopi, anno nongentesimo vigesimo octauo: & septimo Idus Iunij, Monasterio *Suhii*, translatio S. Folquini Morinorum episcopi.

Vitam scripsit Folquinus abbas Lobienfis, sancti Bertini monachus ab ineunte ætate. Testantur autem Bertinenses in Chronicis, se multa huius miracula non solum legere, sed etiam experiri:

*Cap. 13. &
42. & 51.*

periri: memoriam quoque eius miraculis clarere
in Ghinneka: sed & stolam eius parturientibus
subuenire.

2^o. *De sancto Nicasio Rhemensi episcopo.*

*Ex sine passionis manu-scripta, & impressa como se-
cundo Legenda.*

I Tem Rhemis, passio sancti Nicasij episcopi,
qui Missarum solennitatibus peractis, à Wan-
dalis intra ecclesiam Rhemensem pro fide Christi
est decollatus. Huius martyris pignora quædam,
Nouiomagensis quidam episcopus obtenta, ad
suam pertulit ciuitatem. Quæ tam apud Nouio-
mum, quàm & apud Tornacum castrum, vbi
nunc etiam seruari perhibentur, claris referuntur
illustrata miraculis. Referunt autem nonnulli eum
ad tempora beati Hieronymi, quando innumera-
biles & ferocissimæ nationes, inter quas Wandali
primas tenere videbantur, vniuersas Gallias oc-
cuparunt, moti eo argumento, quòd in historia,
crebra sit Wandalorum mentio, Hunnorum nul-
la. Verùm cum historiæ scriptor asserat eum, cum
Aniano Aurelianensi præfule, se iræ Dei obiecisse
clare refertur ad tempora Attilæ regis Hunno-
rum. Qui, vt erat flagellum Dei, anno quadrin-
gentesimo quinquagesimo tertio, instar turbinis
totam Galliam vastauit. Hunnos proinde, vt alij
nonnulli, proprietate vocum neglecta, Wandalis
annumerat. Cæterum Gallicanæ in Belgio ec-
clesiæ, quæ Rhemensi metropoli subesse solent,
natalem eius nouem celebrant Lectionibus. Quo
fortassis contestari volunt omnium solitudinem
nondum dilatata fide, penes sanctum Nicasium

tunc

tunc resedisse. Quidam tamen in eadem tempora referunt Diogenem quendam, episcopum & martyrem Atrebatum.

a Aut vocat Wandalos: ut solent hostium externorum nomina à plerisque confundi.

Decima sexta Decembris.

De sancto Euerardo confessore Cisonij.

Ex Lectionibus, & translatione sancti Calixti.

IN Gallijs, apud Tornacum, monasterio Cisonio, depositio sanctissimi EVERARDI, confessoris ac militis Christi, qui etiam Eurardus dicitur. Meritò autem ut miles Christi ab ecclesia honoratur. Cùm enim esset nobilissimis Francorum natalibus oriundus; Comes Cisoniensis, & Dux Foroiuliensis, sub glorioso principe Lothario Ludouici filio, contra Sclauos, aliasque paganas gentes, quasi marginalis miles ac limes, valida manu resistebat. Sæpe Ismaëlitis & Agarenis (qui se Saracenos esse gloriantur) nec non sæuissimis Numidis & Mauris obfistebat, non modicum ex ipsis triumphum reportans. Cumque totus ad hoc laboraret, ut ecclesiam à perfidiæ armis tueretur, etiam monasterijs construendis inuigilabat, ad usum eorum quos ex diabolica perfidia extraxerat. In multis etiam Franciæ locis, quæ ei vel patrimonio cesserant, vel donatione regum accesserant, basilicas fundauit, præcipuè tamen dilexit prædium suum quod Cisonium dicitur, in Tornacensi pago, in quo monasterium S. Calixti construxit, quod est Canoniorum Ordinis S. Augustini abbatia. Eoque attulit sancti Ca-

Sancti Calixti corpus, quod iam pridem Notingus Brixienſis epiſcopus Romæ à beato Sergio pontifice obtinuerat. Non enim audebat Notingus principi optimè de eccleſiæ merito renuere quod poſtulabat: ſperabat tamen ipſum ſanctum pontificem corporis ſui translationem non admiſſurum. Sed Deus ſancto ſuo etiam alium locum præparauerat. Vnde ex Cella aurea humeris ſacerdotum deportatus eſt ad occiduam Galliam, vbi primo miraculo claruit, in villa quæ præter antiquum nomen, ob merita ſancti Quintini martyris, ibi quieſcentis, sæpius eius nomine nuncupatur. Deinde varijs miraculis claruit in Ciſonio, quo delatus eſt anno octingentefimo quinquageſimo quinto: vt eſt in epitaphio feretri ſancti Euerardi. De translatione legitur die duodecimo Nouembris, *Ciſony tranſlatio corporis glorioſi militis ac confeſſoris Chriſti Euerardi, nec non & aliarum reliquiarum.*

Villa pro oppido phraſi Gallica.

Gallicè Be-aurepaire apud Marcenas.

Eſt q̄ sæpius de veteri caſa in nouam tranſlatus.
 Giſla autem, eius pia vxor, fundauit Bellum Reparium, Prioratum, qui à Ciſonio dependet. Miror autem in annalibus Imperatorum nihil de Euerardo legi, cum in eis nominetur anno 817. & ſequentibus, Cadelach ſiue Cadelaus, dux & præfeſtus marcæ Foroiulienſis: ſed cauſam eſſe ſuſpicor, quod non tam dux fuerit, quàm vice-dux ſiue vicarius Ducis, aut quod portionem tantum ducatus, fauore Caroli, obtinuerit. Leander enim Albertus deſcribens Ducatum Fori-Iulij, quam regionem Italiæ decimam octauam conſtituit, ſcribit duces eius fuiſſe quatuordecim Longobardici ſanguinis, duos Gallici. Poſt quos in poteſtate Imperatorum ex Caroli magni ſi r-
 pe re-

per regia perseueravit, vsque ad Ludouicum tertium. Præterea legitur in vetusta de gestis Francorum historia, in libro quarto, Carolum conuentum Aquisgrani fecisse, in quo Baldricus Dux Foro-iuliensis, cum propter eius ignauiam exercitus Bulgarorum terminos Pannoniæ superioris impune vastasset, honoribus quos habebat priuarum, & marcham quam solus tenebat, inter quatuor Comitès diuisam esse. Et de Ludouico Caroli successore in libro quinto scriptum est, Baldrico Duci Foro-iulensi dum obijceretur & probatum esset, eius ignauia & incuria vastatam à Bulgaris regionem nostram, pulsus est Ducatu: & inter quatuor Comitatus est eiusdem potestas diuisa.

Cap. 115.

Lib. 5. c. 12.

Quibus tamen in locis legendum esse videtur, ex admonitione Pithoei [in ter quatuor]: Karoli enim magni temporibus Dux sub se duodecim Comitatus habebat. Quo pertinet quod de Pipino in iisdem gestis legitur: Domum reuersus Grifonem, more ducum, duodecim Comitibus donauit.

Aduersar.
lib. 1. cap. 8.

Lib. 4. c. 62.

Decima septima Decembris.

1^o. De S Beggha fundatrice Andaniæ.

Ex historia manu-scripta, cum nonnullo supplemento.

A Pud septem ecclesias transitus sanctæ BEGGHÆ viduæ: cuius translatio colitur Nonis Iulij. Hæc patrem habuit Pipinum primum, Ducem Brabantia, & maiorem domus Austrasiæ; fratrem maiorem domus eiusdem Grimoaldum: germana verò soror ei fuit beatissima Gertrudis. Hæc Ansegiso siue Anchtisæ,

M M

VIT

Decembris 17.

NATALES

viro suo perempto, Romam adiit, dominam mundi & Ecclesiæ caput. Vnde cum benedictione Adriani papæ, & donatis reliquijs reuersa, in honorem septem ecclesiarum Romanarum Andanæ ad Mosam cœnobium fundauit, in quo fœminas sub religione congregauit, quas secundùm sanctorum canonum præcepta claustris regularibus muniuit. Expetiuit etiam ex monasterio germanæ suæ sanctæ Gertrudis, Deo dilectæ virginis, personas probatas, quas claustro & vitæ puellarum præfecit.

*In vita S.
Modoaldi.
lib. 1. ca. 6.*

Pulcrè de ea ante annos quadringentos Stephanus abbas Leodientis. Soror clarissimæ Deoque deuotissimæ Gertrudis Begga bino ordine sanctitatis, hinc tricesimum fructum pudicitie matronalis; illinc sexagesimum referens continentie vidualis, duplicem beatitudinis palmam meruit obtinere. Cuius etiam sanctitatis pia apud nos clarent monumenta, in loco, in quo ex diuina reuelatione septem construxit ecclesias: vbi & corpus eius sacris virginum choris honoratur, quæ tempore suo die noctuque ibidem famulantur. Ibi quoque dux egregius Ansegisus ab ea conditus est, qui ab alumno suo, quem idem Dux puerum fortè inuentum, & sacro fonte susceptum, aluit in filium & exaltauit, crudeliter in venatione peremptus est propter appetitum honoris sui, quem tamen impius ille consecutus non est. Sciendum est istum Ansegisum fuisse filium beati Arnulphi, ex Maiore domus Metensis episcopi: cui venerabilis Begga felici iuncta matrimonio, generosæ sobolis & nobilissimorum regum mater extitit. Hec Stephanus.

Locus autem Andana & Andena dicitur, celebris

lebris vicus antiqui Comitatus & noui Episcopatus Namurcensis, Mosæ adiacens, septem retinens ex prima fundatione distinctas ecclesias: in quarum primatia quæ olim erant sanctimoniales, nunc sunt triginta numero dominæ Andenses, Canonice seculares. Quibus decem Canonici in diuino officio subserviunt.

Sunt qui ab hac Beggha Beghinas nomen habere asserant, sed an id probabile sit, antiquitatis studiosi discutiant.

2^o. De S. *Uuina*, Bigardiensis monasterij fundatrice.

Ex Martyrologio, Lectionibus & cæteris monumentis maioris Bigardiæ quæ cum gratiarum actione communicauit sacer conuentus.

Bygardis, beatæ WIVINÆ virginis, quæ quanti apud Dominum sit meriti, surdi, contracti, demoniaci pristinam sospitatem adepti, fideliter protestantur. Hæc in pago Flandrensi ortum accepit ex nobili familia de *osij*. Cumque adolescentulam adamaret Richardus, ipsa eum sic conuertit ut in *Eec-holt* vitam eremiticam sit amplexatus. Quo facto, cum collega sua Emuara patria deserta Bygardas abiit anno 1126. vbi triennio incolis ignota, Deo autem notissima fuit. Postea cum collega Bruxellas iuit, ad Godefridum barbatum, Bigardas expetens, ut ibi chorum virginum adunaret. Locum Comes libens virginibus concessit, & successor dotauit. Vnde habitum diuini Benedicti ipsa induit anno 33. dicti sæculi, ornansque se floribus humilitatis, obedientiæ, & abstinentiæ, multas virgines ad se adtraxit. Inter quas etiã memoratur Gisla quædã quæ postea defecit ad immudities. Quo in facto se sacer cõuentus solari

debut Christi exemplo, qui ad suum Apostolicum collegium Iudam assumerat. Cæterum hanc virginem, & virginum matrem, cum esset annorum sexaginta & septem, morientem chorus suscepit Angelicus. Post mortem autem anno septimo Alardus Cameracensis episcopus Bigardensem ecclesiam dedicauit. In qua dedicatione candelæ ob festiuitatem accensæ in processione extinguebantur: facta autem processione, ante corpus virginis candela quam Ingelbertus presbyter gestabat, est reaccensa. Qua de causa candelam gestans depingitur. Tunc etiam Alardus merita & miracula attendens, præcepit Arnulpho septimo abbati Affligeniensi, ut corpus B. virginis in feretro collocaret, quod ille eodem anno 77. perfecit, 7. Kal. Octob. Deo etiam diem illum diuersis adornante miraculis.

Quod ad loca attinet, maior Bigardia est in media ferè via inter Bruxellas & Affligonium: minor autem aut alta eiusdem ordinis, est Bruxellæ vicinior. Familia *osij* dicitur esse in Artesia, quæ tempore sanctæ Wiuinæ nondum erat à Flandria distincta. Vnde verè in historia dicitur orta in territorio Flandrensi. Cum autem plura sint *Eeck-holt*, siue Querceta, apud quos Quercetanos Richardus eremita vixerit, affirmare non valeo.

8 Nouēbris
cap. 24.

Est etiam apud Flandros nobili prosapia orta eiusdem ferè nominis Viueta matrona, apud Sueffiones sanctimonialis, de qua scribit Nicolaus Sueffionensis in vita B. Goddefridi epis.

Deci-

Dicima octaua Decembris.

De sancto VVunibaldo.

V Ide septimo Iulij: vbi fratri sancto Bilibaldo adiungitur.

Decima nona Decembris.

De sancto Megengoso, Geldriæ præfecto.

Ex Geldriæ Chronicis, historia sanctæ Adelheidis per Bertradam, & responso D. Petri Radj.

IN Vilika, depositio sancti MEGENGOSI confessoris. De quo in Chronicis Geldriæ scribit Iaspar de *Hartvelt*, Canonicus Grauiensis; Legitur quod tempore Othonis tertij fuerit Megengosus Comes Geldriæ, qui instituit monasterium Vilicense, ex opposito Bonnæ, & multis possessionibus hæreditauit, ibique sepultus est, anno millesimo primo, & canonizatus. Item Henricus Aquilius. Vichardus secundus, quartus, ait, præfectus Geldriæ, coniugem habuit filiam Comitis Zurphaniensis, ex qua genuit filium Mengosum, qui patre mortuo publicis suffragijs in præfectura successit. Pulcherrima huius præfecti stratagemata lector in chronicis Geldriæ consideret: vbi singula prolixè commonstrantur. Fuisse autem illum insigni pietate præditum accepimus. Condidit monasterium *Vilich*, non procul à Bonna oppido, in ducatu Bergensi. Vbi & sepultus est anno Imperij vigesimo octauo.

Sed vt ad antiquiora & digniora veniam, encomia eius non tacuit Bertrada virgo, in historia sanctæ Adelheidis, primæ abbatissæ Vilecensis.

Scribit enim hanc sanctam virginem parentes habuisse Megengorem illustrem Comitem, & Gerbirgam ducis Godefridi filiam, ea tempestate magni & incomparabilis viri: qui cum essent mundi huius amplissimis aucti honoribus, etiam coram Deo conati sunt virtutum se studiosos exhibere. Cumque filius, eiusdem cum auo materno nominis in exercitu Imperatoris aduersus Boemos cecidisset, & cadaver difficulter quidem sed honorifice in patriam deportaretur, parentes reuoluentes præterire figuram huius mundi, & toto pectore caelestem ac sempiternam patriam suspirantes, bonorum omnium quæ erant Godefridi filij, Deum hæredem instituerunt, vt eius anima caelestis paradisi hæreditate potiretur. Enimvero è fundamentis excitarunt in Vilika templum venerabile, prædijsque & mancipijs illud ditarunt: atque iater se sani & incolumes mutuo consensu decreuerunt pro Christi amore communis tori nescire commercia. Quo in loco permansit Gerbirga, nocte ac die vacans orationibus, ita vt non immeritò possit anteponi illis viduis quas ob continentia meriti Apostolus vocat verè viduas. Vidit etiam collectam sanctarum virginum multitudinem sub filia sua Adelheide. Cumque monasterium à duobus Imperatoribus Othone tertio & Henrico multa libertate donatum esset, non multo post pia mater rebus humanis exempta est, illo donanda beatitudinis premio quod Dominus in Euangelio vigilanti seruo promittit. Maritus verò qui, vt pote princeps, mundo specie tenus inferuire cogebatur, post triennium cunctis bonis ex gratia Dei auctus in loco qui *Gebre* dicitur migravit: & ab Adelheide filia Vilicæ est honorificè

1. Tim. 5.

Luc. 12.

norificè apud coniugem tumulatus. Idem autem ipse postea apparens cuidam eius monasterij sorori dixit: Megengor ego dictus sum cum me corporis grauaret moles: at nunc vocabulo in melius commutato Megengaudius vocor, quandoquidem gaudijs fruor sempiternis. Haftenus ex Bertrada.

Plura verò de eo expetens ex Bonna responsum accepi, sancti Megengosi siue Megengaudij, à vulgo Mengo dicti, fundatoris Vilecensis ecclesiae, & patris sanctæ Aelheidis virginis & primæ ibidem abbatissæ festum diem siue natalem non celebrari, sed vnicum eum habere suffragium, & vnicam collectam in die sanctæ Aelheidis. Et similiter aliàs ter aut quater annuè, ad placitum Canoniarum & Canonicorum. Epitaphium ad sepulcrum excisum est in arcu deaurato,

Regum dulcis amor, patriæ pater, altor egentū,
Ecce Megengaudus hîc tumulatus inest.

Scit seruare fidem diuo Gerbirga marito,

Quam mors non separat coniugis à gremio.

Hoc templum proprijs struxerūt ruribus ambo;

Felices quorum prædia præda Dei.

Cum quartus decimus sol voluitur ante horizon-
tatem

Ianum, tunc senior raptus ad astra fuit.

Die vigesima prima Decembris.

De S. Thoma Germanorum apostolo.

*Sententia Wilh. Lindani episcopi primum Ruræ-
mondensis, postea Gandensis.*

NAtalis beati Thomæ Apostoli. Qui Parthis
& Medis Euangelium prædicans, passus est

M m 4

in In-

Decembris 22.

N A T A L E S

In exhortatione ad
Hollandos,
& alibi.

in India, ac non multo post translatus est Edissam.
De hoc autem Apostolo varijs in locis monet Lindanus, si non perspicuum, saltem à verò alienum non videri, eum Germanis nostris Iesu Christi Euangelium prædicasse. Cùm id in catalogis suis attestentur Dorotheus episc. & martyr, Hieronymus, Sophronius, & Oecumenius. Vnde per Germaniam non rata sunt huius Apostoli oratoria, ut Colonia, in *Brauyler*, Leodij: imò & cathedrales ecclesiae, Argentinensis, & secundæ huius Germaniæ, Traiectensis. Quæ eum patronum suum profitetur, in picturis, in Litanij Latinis & Græcolatinis, in festis, & in quotidiana commemoratione.

Die vigesima secunda Decembris.

De S. Hungero Frisio, episc. Ultraiectensi.

Ex Becano historico Traiectensi, & vita S. Odulphi.

VNdecimo Cal. Januarij, depositio B. Hungeri episc. & confes. anno 866. De eo exstat celebre testimonium in S. Odulphi historia. Cùm enim clerus Traiectensis sede vacante animis vacillaret quem eligeret, B. Odolphus Christi sacerdos ostendit presbyterum B. Hungerum vultu deformem, attamen nescientibus hominibus, meritis insignem. Quem omnes elegerunt. Cuius sane tanta fuit vitæ integritas, ut post Villibrordum & Bonifacium sanctos episcopos, in illa sede nullus repertus sit, qui usque ad supremum vitæ diem excolendis virtutibus par illi fuerit.

Scribit autem Ioannes de Beke nesciri vbi hic episcopus, vir pius, regularis, prudens, & pacificus requiescat, eo quod Danorum austeritate à Sede sua propulsus fuerit. Illi enim Dorestadium vicum nominatissimum totius patriæ, in quo quinquaginta quinque parochiales fuisse dicuntur

cuntur ecclesiæ, crudelissimè destruxerunt anno octingentesimo quinquagesimo sexto: deinde urbem Traiectensem. Vnde Hungerus cum paucis Canonicis anxie diffugit, & ad præsentiam Lotharij regis in Prumiensi monasterio se recepit.

*Ex Charta
Lotharij.*

Vbi cum Gunthario sacri palatij summo Cancellano Regiæ Clementiæ retulit ecclesiam suam barbarica nequitia ad nihilum redactam esse, Canonicis quibusdam interemptis, alijs dispersis, quibus infra regnum eius quietum locum tribui deprecabatur. Sua autem celsitudo in remedium animæ aui, & genitoris quondam Augustorum, nec non genitricis Hermingardæ, seu pro salute sua regniq; stabilitate in pago Maso super fluvium *Rure* monasterium in honorem sancti Petri constructum, quod *Berg* nuncupatur, præfatæ Sedi Traiectensi sub omni integritate per omnia tempora tradidit, quatenus præsignatos seruos pro eius & prædecessorum salute libentius exorare delectet.

Vigesima nona Decembris.

De sancto Hilduardo episcopo.

Ex officio Collegiatae ecclesiæ Teneramondensis, quod ad me misit, dominus Pastor Iacobus de Mera.

IN ciuitate Teneramonda, natalis B. HILDVARDI episcopi & confessoris. Qui à Bertino Tullensi episcopo regeneratus & educatus, eidem à latronibus interfecto in episcopali onere successit. Urgebatur enim & cælesti visione, & ciuium ac Dagoberti postulatione. Superuenit autem Comes quidam, qui filium suum intrudere voluit: vnde sanctus Halduardus annu-

Decēbris 19.

NATALES

lum Dagobetto remisit; sed Comes ex diuina punitione didicit beatissimum Hilduardum esse reassumendum. Iuit autem sanctus præsul cum Brino & Bittino Romam, vbitalem à beato Petro apparitionem accepit, vt se relicto episcopatu Steinburnam in Flandriam contulerit, quæ recentiori vocabulo Dickeluenna dicitur. Vbi primùm Deo lucratus est familiam viduæ apud quam hospitabatur, quam paulo post dux Magripius, contra Christianam religionem ferociens, gladio feriri iussit; beatum autem Hilduardum virgis cædi, alijsque tormentis affligi. Cùm autem contra beatum virum grauiora meditabatur, tandem captus est per Euangelicum rete, & sancto Petro Apostolo ecclesiam ædificauit, in qua sub Hilduardo, non tantùm Christianam, sed monasticam professus est religionem. Memoratus autem præsul, post multam fidei prædicationem gloriolo fine quieuit * in *Dickeluenne*, vbi ad tumultum discipuli eius Brinus & Bittinus instanter orabant dissolui & esse cum Christo. Quo de loco viri Tenremondenses veneranda eius ossa, omni virtute famata, cum summo iubilo Tenremondam transtulerunt, die septima Septembris. Est autem Tenremonda Imperialis Flandriæ ciuitas sub episcopo Gandauensi, nomen habens à Tenera fluuio. Dickeluenna autem est pagus agri Teneramondensis.

Anno 750.
Meierus
ubi cum
vide.

Hoc sancto viro posterior est eiusdem nominis Hildouardus episcopus Cameracensis, qui anno octingentesimo decimo quarto Nouiomeni interfuit Concilio, cui præfuit Vulfarius Rhemensis archiepiscopus.

Die

Die si placet penultima Decembris.

1^o. De beato Petro abbate Anglo.

Ex historia Anglorum, Bedæ.

Petrus presbyter primus abbas monasterij quod apud Cantuariam in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ab Augustino Anglorum Apostolo constructum est, & à Laurentio eius successore consecratum, legatus in Galliam missus, demersus est in sinu maris, qui vocatur *Ampleat*, & ab incolis loco ignobili sepulturæ traditus. Sed omni nocte super sepulcrum eius lux cælestis apparuit, donec animaduertentes sanctum fuisse virum, & inuestigantes vnde & quis esset, abstulerunt corpus: & in Bononia civitate, iuxta honorem tanto viro congruum, in ecclesia posuerunt.

2^o. De beato Richardo.

Ex literis Adami Wachtelare, archidiaconi Groningensis.

Richardus Cistertiensis in abbazia de *Adwerdt*, milliati vno à Groeninga, miræ sanctitatis fertur fuisse monachus, miraculis & peregrinationibus clarus, non tamen Canonizatus. A quo diuersus est Richardus Anglicus ordinis *Præmonstratensis* monachus in *Arinsberch*, qui in eo cœnobio plurimos libros manu propria conscripserat, mercedem sui laboris præstolans in cælis. Quæ manus post viginti annos, reliqua carne in puluerem redacta, integra est reperta, & in tanti miraculi testimonium reseruat.

*Casarius in
speculo ex-
emplorum
dist. 6. cap.
100.*

Die,

Die, si placet, vltima Decembris.

De beato Uualinberto, aut Garenberto,
abbate Boenensi.

Ex catalogo sanctorum Flandria, & anna-
libus Meieri.

Wulpen.

IN Boenensi monasterio, obitus beati Walinberti, abbatis. Quem Meierus vocat Garenbertum. Qui natus in *Gulpen* apud Furnas, primum Furnæ habitauit apud Canonicos sanctæ Walburgis, postea Cameraci. Deinde in oppido sancti Quintini seruiuit nobili viro Oylardo, postremo secessit in siluam *Boeny*, sibi ab Oylardo traditam, vbi discipulos congregans, tanta vixit sanctitate, vt à Liethardo episcopo Cameracensi primus creatus sit abbas Boenensis, & in hunc vsque diem, à vulgo, quanquam nondum eleuatus, sanctus Walimbertus dici meruerit: Monasterium dicitur etiam montis sancti Martini, ordinis Præmonstratensis.

PE-